

ticula copulativa dupl. sumi possit, (a) quatenus per eam connectuntur tantum voces, ut in hac: *Et baptismus & coena Domini sunt Sacramenta N. Testamenti*, ubi per partic. ET connectuntur tantum haec voces, *Baptismus, coena Domini*; h. m. particula ET non facit enunciationem copulativam, sed tantum de extremo copulato, quae simplex est. (b) quatenus per eam integræ enunciationes connectuntur, ut in hac: *Et baptismus est Sacramentum N. Testamenti & coena Domini est Sacramentum N. T.* h. m. part. ET copulativam enunciationem facit, & hoc ipsum est, quod dicitur in definitione plures enunciationes connecti per particulam copulativam.

42. Sicut autem in conditionali partic. SI, in disjunctiva verò partic. AUT; ita in copulativa enunciatione part. ET vel similis, copulae rationem habet, quia per hanc particulam partes copulativæ enunciationis copulantur.

43. Copulativa enunciatio est vel affirmans vel negans. Affirmans, quando particulae copulativæ nulla praefigitur negatio, e. g. *Et Deus est justus & est misericors*, *Et Petrus est homo & non est brutum*. Negans, in qua partic. copulativæ adeoque toti enunciationi negatio